



## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Instructio practica ...**

Institutiones Theologiæ Mysticæ, Seu Facilem & practicum modum  
Exercitia Spiritualia S.P. Ignatii Loyolæ per octiduum faciendi - item  
triduanam recollectionem fructosè instituendi complectens, Et  
Sacerdotibus Præcipuè, aut de Sacerdotali Statu suscipiendo  
deliberantibus accomodata, Una cum ...

**Lohner, Tobias**

**Dilingæ, 1680**

Med. II. De secundo actu caritatis divinæ, nempe de pura intentione.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-48834](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-48834)

conturbationes iniqua, & cura superflua. Tunc etiam videtur immoderatus timor, & inordinatus amor moriturus tunc experieris verum esse, quod S. Bernad. in júbilo dixit: *Quem tuus amor ebriat, novit; quid IESVS sapiat, quomodo felix est; quem satiatur, non est ultra, quod appetat.*

Considera II. Quomodo hanc felicitatem opere ipsius pertax sint plures animæ DEUM sincerè amantes, præcipue Franciscus, diu nocturne in animo versans illud: *DEVS meus & omnia.* Item ille Monachus, semper etiam inter comestiones lætus, quia (ut ipse quærentibus causam lætitiæ respondit) DEUM meum eripere nemo mihi potest.

Considera III. Quàm malè tu hætenus egeris, te feliciter ista privando, quàm justè ad eò exclamare cum Anna, Tobie Matre possis: *Omnia simul in te unò (ò mi Deus) habentes, te non dimittere debuimus à nobis.* Tobie cap. 10. *ergo vel nunc cum S. Davide Ps. 72. Quid mihi est in Cælo? & à te quid solui super terram? dic cum S. Paulo Rom. 8. Quis me separabit à charitate DEI? Et. Colloquium cum Christo.*

Pro IV. Die.

MEDITATIO II.

DE SECUNDO ACTU CHARITATIS  
VINÆ, NEMPÈ DE PVRA INTENTIONE.

Punctum I.

Considera I. Inter officia veri amoris non potest meritò à SS. Patribus & Ascetis reputari, quod amor omnia sua obsequia & opera ad solum Amati honorem & neplacitum dirigat, neque aliud pro labore suo præsumat exigat, quàm amato placuisse, id quod in amore, quo Religiosi DEUM amant, vel maximè locum habet; nam, testis Bernardo, *suspectus est amor, cui aliud quid adipiscendi suffragari videtur.*

Considera II. An & quomodo tu hætenus per ejus purissimam intentionem tuam erga DEUM amorem declaraveris. Id ex sequentibus indicis facile colliges. 1. Si æquè in occulto exactè opera tua facias, atque in publicis coram alijs perficere consueveris. 2. Si perinde tibi sit

quos, siue multos operum tuorum spectatores habeas. 3. æquali promptitudine humilia ac gloriosa officia suscipias, obeasque. 4. Si neque ob laudatum opus inaniter ac immodicè exultes, neque ob vituperatum inordinatè tristescis. 5. Si quocunque successu tuorum operum contentus sis &c.

Considera III. Quàm pauea ex his indiciiis in te reperias, quàm exiguus proinde tuus in DEUM amor hactenus fuerit, quomodo deinceps saltem in id unice incumbere velis, ut placere cum Christo possis; *Ego, qua placita sunt ei, facio, semper*, Colloquium ad SS. Patronos &c.

## Punctum II.

Considera I. Quàm æquum sit, ut deinceps operibus tuis non aliam intentionem admisceas, quàm solius DEI beneplacitum, cum quocunque te convertas, nullibi maiorem pro tuis laboribus mercedem inuenire possis, quod quidem facili cognoscet; si condiciones, quas in mercede etiam excogitabili requireres, accuratius perpendas. Quarum prima est, ut sit magna; atqui placere DEO tam magnum est præmium, ut de facto Beati plus delectentur in hoc, quod placeant DEO, quàm quod ejus aspectu fruantur; unde meritò DEUS ad Abrahamo dixit, Genes. 15. *Ego protector tuus sum, & merces magna nimis.* Secunda est, ut parata sit, seu statim offeratur; atqui beneplacitum DEI mox eo momento, in quo opus peractum est, obtinetur. Tertia est, ut inaufertibilis sit; atqui solum DEI beneplacitum hoc habet, quia fieri non potest, ut id, quod semel DEO placuit, displicere incipiat; unde patet, nullam huic mercedi æqualem, neq; in ipso cælo reperiri posse.

Considera II. Qualia præterea commoda ex tali intentione reportaturus sis, videlicet summam ad opera omnia *indifferentiam* (cur enim unum præ alio appetas, cum in omnibus præmium tuum, id est, beneplacitum DEI æqualiter obtinere possis?) summam in quovis negotio *diligentiam* (si enim opera, quæ Principibus & Regibus hujus Mundi parantur, tantâ cum industriâ & perfectione laborantur, quantum diligentiam adhibebit, Qui scit, sua opera non hominum, sed DEI beneplacito præparari?) summam in omni labore

bore *alacritatem* ( si enim spectatorum multitudo & constantia tantos Animos virésque addit Actoribus in theatris, quantò majores addet animos præsentia & aspectus DEI, cui soli placuisse infinities majus est præmium, quàm à ceteris omnibus hominibus & Angelis etiam possibilibus omnino cogitabili modo placuisset? )

Considera III. Quàm præclari sint hi fructus, & operandi Operario in Vinea Domini laboranti, ut cum Jacobi Patriarcha omnis labor per totam vitam suscipiendus sit & brevis ei videatur, præ Desiderij, quo DEO placere contigit, magnitudine. Colloquium ad B. Virginem.

## Punctum III.

Considera I. Quibus mediis uti deinceps velis, ad hanc purissimæ intentionis saluberrimum Exercitium, frequentia non displicebunt. 1. Si sæpius & accuratè perpendas, quanti faciendum sit placere DEO. 2. Si hoc præmium frequenter, & initio maximè posteriorum operum animo tuo objicias. 3. Si quando in publico opus aliquod honorificum peragendum est, priùs tecum perpendas, quàm modicum foret præmium, si ab universis tuis Auditoribus & Spectatoribus summam laudem atque applausum ferres, ut solo DEI beneplacito comparatum, atque adeò hoc solo tuo operi præfigas. 4. Si opera, quæ in occulto facis, singulari cum industria & alacritate facias, eo potissimum capite, quia credis, te à DEO spectari, & illi soli summè placere cupis. 5. Si postquam Laus & gloria tibi ex operibus quo parata est, mox eâ repudiata ad tuum præmium revertas, applicando ad hunc finem verba illa à S. Angustino paulò aliter prolata: *Infelix homo, ò DEVS, qui omnium hominibus placet, & tibi displicet; Beatus vero, qui tibi placet, etsi illis omnibus displiceat. Qui serò tibi placet, non quia illis, sed quia tibi placet, beatus est.*

Considera II. Quàm apta sint hæc media ad insignem hoc exercitio profectum brevi tempore faciendum.

Considera III. Quomodo tu hactenus ijs usus sis, ut deinceps velis. Colloquium ad Christum.

## CONSIDERATIO

Pro Quarta Die.

## DE VICTORIA SUI.

## Punctum I.

Perpende triplicem esse victoriam, quam de teipso reportare debeas, generalem scilicet, quotidianam, & perpetuam. Igitur

Examina te 1. An generalem Victoriam obtinueris, & ita spiritualiter te occideris, ut tibi & concupiscentiis tuis mortuus dicere possis cum S. Paulo: *Vivo autem jam non ego, vivit vero in me Christus.* Galat. 2. Item: *Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce Domini nostri IESU Christi, per quem mihi Mundus crucifixus est, & ego Mundo.* Galat. 6.

Examina te 2. An quotidianam Victoriam obtinueris, scilicet quotidie manè cogitando, quid tibi in die difficillimum accidere, vel in via perfectionis maximè impedire, vel in gravem lapsum impellere possit, & hoc generoso animo superando, vel removendo?

Examina te 3. An perpetuam Victoriam obtinueris habitus, scilicet in singulis actionibus tuis studendo, ut aliqua in te teipsum superes, sive quod idem est, aliquid voluntati tue adversum facias, ut suo modo illud S. Davidis usurpare possis, propter te mortificamur tota die. Ps. 43.

## Punctum II.

Perpende, quantas divitias spirituales meritorum ac Virtutum, quantam gloriam, gratiamque apud DEUM & homines, quantam lætitiã tibi trinã hac Victoria causare possis. Dic enim, quid sentires de illo duce, qui post generalem de hoste maximo Victoriam reportatam, quotidie imò singulis horis unam de hostibus suis Victoriam reportaret? Quanto in honore apud omnes habendum? quantis præmiis à Principe suo remunerandum, quantam ex talibus Victoris, honoribus, præmiisque voluptatem percepturum putas? at qui melior est, qui dominatur animo suo, expugnatore urbium, teste Sapiente Prov. 16. quis ergo non ampliora quæque præmia speret? Audi, quid DEUS tali Victori promittat,

Q 4

&amp;

& inde victoriam hanc æstimare disce: *Vincens dabo me-  
na absconditum, & dabo illi Calculum candidum, & in  
calculo nomen novum scriptum, quod nemo scit, nisi qui ac-  
cipit.* Apocal. 2. *Qui Vicerit, faciam illum Columnam in  
templo DEI mei, & foras non egredietur amplius, & scri-  
bam super eum nomen DEI mei,* Apocal. 3. *Qui Vicerit, do-  
bo ei sedere mecum in throno meo. Sicut & ego Vici, & si-  
cum Patre meo in throno eius. Qui Vicerit, sic Viciator  
sumentis albis, & non delebo nomen eius de libro Vitæ.  
Confitebor nomen eius coram Patre meo, & coram Angelis  
eius.* ibidem. An non ergo meritò Seneca dixit, *Imperium  
sibi maximum esse imperium?* an non ille Poëta bene ce-  
nit: *Tunc omnia jura tenebis, si poteris Rex esse tui?* hinc  
ergo Thomam de Kempis l. 1. c. 3. adhortantem: *Quis  
bet fortius certamen, quam, qui nititur Sincere seipsum  
hoc deberet esse negotium nostrum, Sincere scilicet seipsum  
& quotidie seipso fortissem fieri, ac in melius aliquid pro-  
cere. Sed & fructum securum audi l. 3. c. 53. explicat  
si temetipsum perfectè Viceris, cetera facilis subij-  
perfecta Victoria est, de semetipso triumphare; qui enim  
ipsum subjectum tenet, ut sensualitas rationi, & ratio  
cunctis obediatur mihi (DEO) hic verè Victor est sui, &  
minus Mundi.* Thomas Kemp, loco citato.

## Punctum III.

Perpende, quæ mediâ tibi ad hanc victoriam obtinendam  
servire possint: Tria præ cæteris apta censeo. Primum  
auxiliares è Cælo copias petere; An non præ cæteris apta  
Maria de Victoria, quæ sola est terribilis ut castrorum  
ordinata? An non etiam Angelus Custos, cæteri que Patres  
seriò invocati magnam Victoriæ spem facient? Secundum  
est, arma bona præparare, an non aptissimus videbitur  
dius S. Michaëlis, *quis ut DEVS?* profectò non est aliter  
similis. An non & Scutum Davidicum præ aliis placebit,  
quo ipse Psal. 6. *Vi scuto bonæ voluntatis coronasti nos?* Ter-  
tium est, magno animo hostem aggredi, quem in finem pro-  
derit sæpius considerasse, & meminisse DEI, aspicientis pro-  
gnantem, præmij ex Victoria reportandi, damnorum ab hoste  
ste tibi, proximo, DEO, illatorum, Sociorum tuorum fortis

per certantium, imò & Filiorum sæculi ob spem minoris longè præmij similes Victorias reportantium. potuerunt ergo illi, & istæ, & tu non poteris? An non ergo dices tandem cum Davide Psal. 17. *Persequar inimicos meos, & comprehendam eos, & non conuertar, donec deficiant.*

Pro IV. Die,

MEDITATIO II.

DE TERTIO ACTU CHARITATIS DIVINÆ,  
NEMPE DE CONFORMATIONE VOLUNTATIS  
SVAE CVM DIVINA.

Punctum I.

Considera I. Inter alios effectus amoris primarium ferè esse, quòd uniat amantem cum amato, hanc autem unionem potissimum consistere in ipsarum voluntatum conjunctione, ut scilicet idem velint, ac nolint.

Considera II. In quo consistat perfecta conformatio voluntatis tuæ cum divina, nimirum hoc, ut omne id, quod DEUS circa te vel alios ordinaverit, non modò per intellectum comprobes, sed etiam per voluntatem cum gaudio arripas, & per potentias reliquas non minori industria atque alacritate exequaris, quàm si à teipso juxta summam appetitûs tui inclinationem fuisset electum. Hoc ipsum paulò alij verbis expressit Thomas Kemp. l. 3. c. 25. dum dixit, perfectionem hominis, & per consequens etiam perfectam voluntatum & animarum unionem consistere, in offerendo te ex toto corde tuo voluntati divinæ, non querendo, quæ tua sunt, nec in parvo, nec in magno, nec in tempore, nec in æternitate, ita ut una æquali facie in gratiarum actione permanear, inter prospera & contraria, omnia æqua lance pensando.

Considera III. Quàm longè hæctenus ab hac perfectione abfueris, atque adeò meritò illam increpationem Christi apud Thom. Kemp. l. 3. c. 11. audire merueris: *Fili, oportet te adhuc multa discere, quæ necdum bene didicisti. Quæ sunt hæc, Domine? ut desiderium tuum ponas totaliter secundum*

Qq 5